Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem. Dilectus filius nobilis vir Fabritius Columna domicellus Romanus rettulit nobis quod Nobilitas tua requisivit eum ut ipse ad tuam Nobilitatem subito accederet reversurus ad nos incontinenti et sine aliqua mora. Nos licet propter hanc expeditionem contra status Virginii Ursini quam impresentiarum omnino assumere et finire deliverabimus voluissemus ut a nobis non discederet, tamen postquam Nobilitas tua declaravit quod ipse voluntissime ad nos rediret, sumus contenti, et ita ipse modo per postas velocissime ad tuam Nobilitatem proficiscitur. Hortamur illam ut cum primum applicuerit, statim eum ad nos remittat et omnino ac subito mittat ad nos illas machinas videlicet canones, colubrinos et falconettos de quibus ipse Fabritius nostra ex parte requiret tuam Nobilitatem, quam etiam hortamur ut faciat excusationem suam si ipse propter causam huius nostrae impresiae non accedet ad suam Serenitatem, in qua impresia non minus serviet Maiestati suae et tuae Nobilitati quam si personaliter esset apud illam, hortantes tuam Nobilitatem ut in hac expeditione contra dictos status Virginii talem erga nos se exhibere velit qualem paternus amor et singularis affectus noster erga tuam Nobilitatem requirit et prout nos de illa indubitanter speramus, quemadmodum a praefato Fabritio Nobilitas tua latius intelliget. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die v octobris MCCCCCLXXXVI, Pontificatus nostri anno quinto.

B. FLORIDUS

(*Al dors*): Dilecto filio nobili viro Federico de Aragonia Principi Altamurae. PP. Alexandri VI. R. 8 octobris 1496.

A. P., Caixa 1, doc. 10. (*Restes del segell*).

11

22 de gener de 1497

Al Duc de Sora. Li concedeix salconduit per a ell i als seus fills Segimon i Ferran, perquè puguin viure a Roma i en tots els Estats pontificis.

ALEXANDER PAPA VI

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem. Cum ad almam urbem et alias nostras et S. R. E. Civitates ac terras venire et in eis morari et conversari cum dilectis filiis Segismundo et Ferdinandino Cantelmo natis tuis cupias, volentes personae tuae ac dilectorum filiorum tuorum et familiae tuae securitati paterna benignitate providere, te et ipsos filios ac familiam tuam assecuramus et affidamus tibique et illis plenum, liberum ac validum salvumconductum et de venerabilium fratrum nostrorum

S. R. E. Cardinalium consilio praesentium tenore damus atque concedimus, ut vos et quilibet vestrum cum familia et comitiva tam equestri quam pedestri ac rebus et bonis vestris cuiuscumque quantitatis et qualitatis existant ad urbem et alias quascumque nostras et praefatae Ecclesiae terras libere ac tuto et absque omni penitus molestia et impedimento reali vel personali venire et in eis morari et conversari ac inde pro arbitrio et beneplacito tuo cum eisdem filiis et familia seu comitiva quo cumque volueris discedere et demum redire possis et valeas. Districte mandantes omnibus et singulis Gubernatoribus, Locatenentibus, Comitatibus aliisque nostris ac civitatum et terrarum nostrarum et dictae Ecclesiae officialibus ac gentium nostrarum armigerarum capitaneis et ductoribus, pro quanto charam habent gratiam nostram et indignationem cu piunt evitare, ne te vel ipsos filios aut familiam tuam cum bonis et rebus tuis ad dictas terras venientem, morantem, transeuntem seu redeuntem quoquomodo molestent seu molestari permittant quin tibi et ipsis filiis ac familiae tuae si necessarium fuerit et requirendum duxeris de libero transitu et salvoconductu ac itinerum ductoribus seu scorta provideant et sincera tractent in domino Charitate. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xxii Jan. mcccclxxxxvii, Pontificatus nostri anno quinto.

L. PODOCATHARUS

(*Al dors*): Dilecto Filio nobili viro Duci Sorae.

A. P., Caixa 1, doc. 11. (*Restes del segell*).

12

31 de gener de 1497

A don Pròsper Colonna. Li comunica la desfeta que han sofert les tropes pontificies i la presó d'alguns dels seus cabdills, i el perill en què està la ciutat de Roma. Li mana que vingui a ajudar-lo.

ALEXANDER PAPA VI

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem. Credimus quod iam intellexisti et latius intelliges per litteras et per secretarium dilecti filii nobilis viri Fabritii Columna, fratris tui, maximum infortunium quod noster exercitus ab inimicis nuper est passus, qui a dictis inimicis ruptus et totus destructus fuit et octo falconetti ablati et Dux Urbini captus adhuc in potestate eorum detinetur, propter quod nos stamus hic Romae in maximo periculo; cum inimici propter hanc victoram quotidianie prope Romam discurrunt et omnia depredantur, capiunt etiam continue et diripiunt terras Ecclesiae, nunc tenent obsessum portum et omnia sunt in evidentissimo periculo et propterea necessarium est quod nobilitas tua in qua plurimum confidimus quanta cum celeritate potest veniat in auxi-

lium nostrum et secum ducat quanto maiorem numerum potest armigerorum et Alemanorum trahatque secum etiam falconettos quotquot habere potest. Nos non dubitamus quod charissimus in Christo filius noster Federicus Siciliae Rex illustris bene contentabitur quod nobilitas tua veniat, immo erit sibi gratum, quoniam si nos perderemus, quod absit, malum esset pro sua Maiestate, quemadmodum diximus oratori suo ut ad Suam Maiestatem nostra ex parte scriberet et te adveniendum sollicitaret. Itaque hortamur te ut festinatissime cum dictis gentibus equitibus praeditibus ac falconettis quanto plus poteris venias si cupis statui et saluti nostrae ac domus tuae consulere. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die ultima Januarii MCCCCCLXXXVII, Pontificatus nostri anno quinto.

B. FLORIDUS

(*Al dors*): Dilecto filio nobili viro Prospero de Columna domicello Romano. Papa ad Prosperum.

A. P., Caixa 1, doc. 12. (Segell).

13

23 de març de 1497

A Jeroni Llopis, doctor valencià. Li encarrega demanar al rei el lliurament dels Orsinis i del cadàver de Virgini, i que els condueixi a tots als seus estats.

ALEXANDER PAPA VI

Dilekte fili salutem et Apostolicam benedictionem. Quoniam in capitulis concordiae quam cum Ursinis superioribus diebus inivimus cavetur expresse quod cum effectu faciamus liberari et per mare conduci Johannem, Jordanum et Paulum Ursinos ad aliquem locum statuum suorum libere et secure ac insuper quod corpus bonae memoriae Virginii Ursini consignet Neapoli eisdem aut quibus ipsi voluerint itcirco volentes huiusmodi promissionem et obligationem nostram ex latere nostro adimplere habentesque de tua prudentia et virtute fiduciam specialem, tibi per praesentes committimus et mandamus ut statim ad charissimum in Christo filium nostrum Federicum Siciliae Regem Illustrem, te una cum venerabile fratre Episcopo Nolano, quem etiam electum pro parte ipsorum Ursinorum ad suam Maiestatem destinamus, personaliter conferas huiusmodique promissionem et obligationem nostram praefato Regi insinues et declares ac insuper Maiestatem suam nostra ex parte requiras horteris et roges ut supradictos Johannem, Jordanum et Paulum Ursinos, in sua potestate ad nostram instantiam retentos et custoditos, ex carcerebus extrahat et liberet ac in una vel duabus triremibus per mare mittendos poni faciat, in quibus galeis patronos et aliquos viros fidos et ex-

pertos ponat et in eisdem galeis tu et praefatus Episcopus ibitis, quibus patronis et viris Maiestas sua praedictos Ursinos commendent et eis expresse committat et mandet quod praedictos Johannem, Jordanum et Paulum fideliter et secure in dictis triremibus custodian et usque ad Palum, Ostiam, vel Civitam vetulam portent, et cum primum aliquem ex praedictis locis applicuerint nobis per ipsorum litteras significant, neque eos ubicumque applicuerint de dictis galeis exire permittant, sed de eis expectata responsione nostra secundum quod nos per litteras nostras ordinabimus et mandabimus faciant et exequantur. Mandantes tibi expresse quod cum primum Palum aut Civitam vetulam vel Ostiam cum dictis triremibus et Johanne, Jordano ac Paulo Ursinis applicueris confessim per tuas litteras nobis signifies et certiores facias ut possimus tibi et praefatis patronis galearum rescribere et significare quem modum aut formam in extrahendo ipsos de praefatis triremibus observare debeat. Et quoniam nos modum vel commoditatem habendi alias galeas non habemus, rogabis Maiestatem suam ut ad hunc effectum de una vel duabus galeis bene instructis et necesariis provideat et accomodet, quod ad rem gratissimam a sua Maiestate recipiemus. Requires insuper et rogabis nostra ex parte Maiestatem suam ut praedictum corpus Virginii Ursini ad voluntatem et ordinationem eorumdem Johannis, Jordani et Pauli ac praefati Episcopi Nolani pro parte dictorum Ursinorum a nobis illuc destinati illico Neapoli consignari faciat, et pro huiusmodi voluntatis ac requisitionis nostrae expressa declaracione et testimonio volumus ut praesens breve Maiestati suae plene legendum exhibeas et ostendas et in manibus suae Maiestatis dimittas, quam hortamur ut tibi in praemissis plenam fidem et credulitatem adhibeat et praestet, mandantes tibi ut tam de requisitione praedicta per te praefato Regi facienda et eius responsione quam de liberatione, ac consignatione dictorum Johannis, Jordani et Pauli de Ursinis et depositione personarum suarum in dictis triremibus ac de consignatione corporis dicti Virginii, ut praemittitur de singulis publica et auctentica confici facias instrumenta. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xxiii Martii MCCCCCLXXXVII, Pontificatus nostri anno quinto.

B. FLORIDUS

(*Al dors*): Dilecto filio Hieronymo Lopis, militi et Doctori Valentino, familiari et nuntio nostro. De liberatione Johannis, Jordani et Pauli Ursini e carcere.

A. P., Caixa 1, doc. 13. (*Segell*).

14

16 d'abril de 1497

A la reina de Sicília. Li demana que protegeixi a Escipió Capoblanco, mentre resideixi a Nàpols, ja que és un fidel servidor de la Santa Seu.

ALEXANDER PAPA VI

Carissima (*sic*) in Christo Filia nostra salutem et apostolicam benedictionem. Quia dilectus filius Scipio Capoblanus nostrae civitatis Be-neventanae civis et patritius omni fide et sinceritate semper parere studuit voluntati nostrae suntque omnes de ipsa familia sicut bonos decet subditos, de Sede Apostolica benemeriti ac pro incolumitate status nostri praesertim in hoc extremo bello integra corporis et animi devotione diligentem ac fidissimum se continue exhibuit, ita ut summam gratiam apud Maiestatem tuam promereatur, opere precium esse duximus ut nostrae protectionis favore non destituatur. Rogamus igitur et affectuose hortamur Celsitudinem tuam ut eidem Scipioni tuitionis partes impendere curet apud carissimum (*sic*) in Christo Filium bostrum Fridericum Siciliae Regem, ut suis litteris fidei publice ac salvicunductus mandet quod ipse Scipio tam Neapoli quam alibi in isto Regno ubi sibi magis expedire videbitur stare, habitare ac conversari libere et licite possit absque aliquo impedimento vel lesione in bonis aut in persona, donec res dictae civitatis nostrae in melius, Deo auxiliante, componere valeamus. Quicquid enim benignitatis et commodi in ipsum Scipionem eisque Domum, Opera praesertim Maiestatis tuae fiet, nobis admodum gratum acceptumque reputabimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XVI Aprilis MCCCCLXXXVII, Pontificatus nostri anno quinto.

B. FLORIDUS

(*Al dors*): Carissimae in Christo filiae nostrae Siciliae Regine Il-lustri. Smi. D. Nostri ad reginam. R. 20 maii 1492.

A. P., Caixa 1, doc. 14. (Segell).

15

13 de juny de 1497

A don Frederic, rei de Sicília. Li recorda que entre els capítols firmats entre ells, n'hi ha un que estableix que abans de ser coronat rei ha de donar a don Joan de Borja, Duc de Gandia, i a don Jofré de Borja, Princep d'Esquilache, els estats següents: Comtat d'Olivete, Monte Fuscuel i Baronia Flumare, etc., que donen de renda deu mil ducats d'or.

ALEXANDER PAPA VI

Charissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Quia in capitulis inter nos et Maiestatem tuam nuper firmatis inter alia continetur quod Maiestas tua ante suam coronationem dabit dilectis filiis nobilibus viris Joanni de Borgia duci Gandiae et Suessae et Geofredo de Borgia, principi Squillatii status ad valorem annui redditus decem milium ducatorum aureorum, videlicet integrum comitatum Oliveti, item montem Fusculum cum suis iurisdictione, casalibus et praeeminentiis et pro residuo complementi eiusdem valoris Baroniam Flumaris, caviteturque in eisdem capitulis expresse quod huiusmodi Status decem milium ducatorum debent distribui per nos et ad arbitrium nostrum inter eosdem Ducem et Principem, itcirco ut Maiestati tuae mens et intentio nostra circa hoc plene innotescat intelligatque quomodo privilegia de dictis statibus expediri faciat, per praesentes significamus et declaramus Maiestati tuae quod Comitatus Oliveti integre detur et consignetur praefato Principi Squillatii, reliquum vero videlicet Status Montis Fusculi et Baroniae Flumaris et si quid aliud dandum esset pro complemento valoris decem milium ducatorum aureorum, iuxta tenorem eorundem capitulorum, dentur et consignentur praefato Duci Gandiae et Suessae, et hoc modo Maiestas tua et privilegia et alia quae fieri oportet expediri faciat, quemadmodum etiam ad maiorem expressionem de huiusmodi declarationes et distributione nostra per publicum notarium et publicum instrumentum notari et confici fecimus, prout a dilecto filio Hieronymo Lopis milite valentino Maiestas tua latius intelliget. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die **xiii Junii MCCCCLXXXVII**, Pontificatus nostri Anno Quinto.

B. FLORIDUS

(*Al dors*): Charissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi illustri. Summi Pontificis XIII. R. xx junii 1497.

A. P., Caixa 1, doc. 15. (*Restes del segell*).

16

13 de juny de 1497

A don Frederic, rei de Sicília. Li comunica que ha delegat en el seu familiar Jeroni Llopis, procurador del Duc de Gandia, l'execució de les clàusules dels capítols firmats entre ells relativus a les donacions de terres, etc. —de renda deu mil ducats d'or—, a don Joan de Borja, Duc de Gandia, i a don Jofré de Borja, Príncep d'Esquilache.

ALEXANDER PAPA VI

Charissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Pro expeditione et plena executione eorum quae in capitulis inter

nos et Maiestatem tuam firmatis continentur, dilectos filios nobiles viros: Joannem de Borgia, Ducem Gandiae et Suessae et Principem Thenni et Geofredum de Borgia Principem Squillatii tangentia, mittimus ad illam dilectum filium Hieronymum Lopis Equitem valentinum familiarem nostrum et ipsius Ducis Gandiae generalem procuratorem de omnibus et de mente nostra a nobis bene instructum. Hortamus Maiestatem tuam ut eidem Hieronymo plenam fidem adhibere et ipsum ac insuper dilectum filium Antonium de Interamne doctorem et militem quem una cum praefato Hieronymo, cum non poterit in omnibus interesse, ad Maiestatem tuam pro expeditione et executione negotiorum in Calabria et in comitatu Oliveti praefatum Principem Squillatii tangentium mittimus, voluntarie et celeriter prout exoptamus, expedire velit. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die **xiii Junii mcccclxxxxvii.** Pontificatus nostri anno Quinto.

B. FLORIDUS

(*Al dors*): Charissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi illustri. Summi Pontificis XIII. R. xx iunii 1497.

A. P., Caixa 1, doc. 16. (*Segell*).

17

20 de juny de 1497

A don Frederic, rei de Sicília. Manifesta el gran dolor que li produí l'assassinat de Joan de Borja, Duc de Gandia.

ALEXANDER PAPA VI

Charissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Vellemus quae grata atque iocunda, non quae acerba atque molesta essent Maiestati tuae significare, sed sicut eo dolore ita etiam ea animi pacientia tu in his litteris legendis qua nos in scribendis adesse debes. Defunctus est enim ymmo interemptus crudeliter bonae memoriae Johannes de Borgia Gandiae et Suexae Dux ac Princeps Theani, quem tantopere et unice diligebamus et qui Maiestatem tuam tam maxime observabat. Illud autem est quod nos magis cruciat quoniam nescimus qua ex causa, quo modo, quo in loco, aut quibus siccariis tam impiam atrocemque obierit mortem, nisi quod novem confossus feris vulneribus et iugulatus in Tyberim projectus repertus est. Quae omnia non nobis solum sed caeteris omnibus et ipsis quoque patratoribus commiseranda nimis esse viderentur. Addit insuper dolorem quoniam se iam itineri accuratissime attingebat ut ad Maiestatem tuam visendum et coronationem tuam decorandum quam festinanter accederet, ostensurus praesentia fidem atque observantiam quam absens erga tuam Maiestatem gerebat. Opposuit se iniquitas mortis et atrocissima carnificum crudelitas, ut

nostro ac suo desiderio erga Serenitatem tuam satisfieri non posset. Benedictus Deus et pater misericordiarum ac Dominus totius consolationis, ipse consoletur nos in hac tribulatione nostra et Maiestati quoque tuae, quam ab hoc graviter dolere non dubitamus, pacientiam tribuat. Nos enim non propterea summo ac paterno amori nostro in tuam Maiestatem studioque et affectui defuturi sumus. Si Maiestas tua Ducem ipsum amisit, restat eius ymago filius videlicet Johannes de Borgia Gandiae et Suexae Dux ac Princeps Theani, sicut observantiae et instituti ita et nominis ac hereditatis successor, quem loco defuncti tuae Maiestati ascribimus, et sicut patrem, si viveret, ita ipsum pari quoque studio commendamus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xx junii MCCCCCLXXXVII, Pontificatus nostri anno quinto.

B. FLORIDUS

(*Al dors*): Charissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi Illustri. Summi Pontificis XX. R. xxviii Junii 1497.

A. P., Caixa 1, doc. 17. (*Segell*).

18

31 d'agost de 1497

Al seu legat, el cardenal Cèsar. Li mana que en contra del que precedentment li havia manat, abandoni el regne de Sicília i torni a Roma.

ALEXANDER PAPA VI

Dilecte fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Ex litteris Carissimi (sic) in Christo filii nostri Federici Siciliae Regis Illustris ad eius oratorem apud nos agentem scriptis, hac hora intelleximus circumspectionem tuam nondum ex illo discessisse, sed iuxta mandatum nostrum expectare restitutionem seu consignationem Castri et Terrae Piscoli ab ipso Rege ante discessum tuum faciendam; sed cum videamus huiusmodi moram et expectationem tuam esse Maiestati suae dispensiosam, volumus et ita per praesentes tibi committimus et mandamus ut his receptis illico ex isto Regno discedas, etiam si dicti Castri restitutio vel consignatio facta non fuerit, non expectatis aliis litteris nostris recto itinere Romam, versus, significans statim interim nobis discessum et progressus tuos. Non obstante quacumque alia commissione nostra seu mandato nostro tibi prius facto, praesentes vero communicabis venerabili fratri Archiepiscopo Cusentino quas et pro suis capiat. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die ultima Augusti MCCCCCLXXXVII, Pontificatus nostri anno sexto.

L. PODOCATHARUS

(*Al dors*): Dilecto filio nostro Cesari Sanctae Mariae novae Diacono Cardinali Valentino Sedis Apostolicae legato.

A. P., Caixa 1, doc. 18. (*Restes del segell*).

19

5 d'octubre de 1497

A don Frederic, rei de Sicilia. Li fa saber que ha rebut les lletres de Joan de Cervelló, i està disposat a posar-lo al servei de l'Església, amb tal que entregui la quantitat estipulada.

ALEXANDER PAPA VI

Charissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Accepimus litteras dilecti filii Johannis de Cervelló quibus nobis significat bonam valetudinem suam et iam cum comitiva sua paratum esse ad veniendum ad nostra et S. Ro. Ecclesiae servitia, dummodo ei de pecunia sibi oblata provideatur. Quare cum eius adventum desideremus, volumus quod Maiestas tua de dicta pecunia prout alias ordinatum fuit, statim sibi provideat, dummodo secura sit eadem Maiestas tua quod preafatus Jo cum dicta comitiva sine ullo impedimento aut mora ad nos dicta recepta pecunia habeat se conferre. Quod nobis gratissimum erit. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die v octobris mccccclxxxxvii, Pontificatus nostri anno sexto.

L. PODOCATHARUS

(Al dors): Charissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi Illustri. Summi Pontificis V. Oct. R. x oct. 1497.

A. P., Caixa 1, doc. 19. (Restes del segell).

20

31 d'octubre de 1497

A Frederic, rei de Sicília. Degut a la penúria que patia Roma, havia manat comprar blat i portar-lo per mar a la ciutat. Degut, però, a la por dels pirates i a una tormenta, les naus tingueren que refugiar-se a Gaeta, on foren incautades pel capità i autoritats d'aquell port. Demana al rei la seva intervenció a fi que aquelles naus puguin continuar el viatge.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime (sic) in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Pro usu et necessitate huius almae urbis quae inopia frumenti in praesens valde praemittit, conduci faciebamus certam frumenti quantitatem, cuius tractam ex Sicilia a carissimis (sic) in Christo filiis nostris Rege et Regina Hispaniarum impetraveramus supra tribus navigiis dilectorum filiorum Mathei Bottini, Desendini, Vaccarii et cuiusdam de Trapano, cumque navigium ipsius Mathei metu pyratarum gallicorum et ob maris tempestatem ad portum Caietae delatum esset, fuit illic a capi-

taneo, iudicibus et aliis officialibus tuae Maiestatis detentum ipsumque frumentum pro usu, ut dixerunt, ipsius civitatis exoneratum. Quorum officialium temeritatem et insolentiam valde admirantes ad carissimam (*sic*) in Christo filiam nostram Johannam Reginam Neapoli existentem pro ipsius frumenti relaxationem scripsimus, cumque alia duo navigia metu ipsorum pyratarum ex eo portu diffugerint, Maiestatem ipsius Reginae attente rogavimus, sicut et tuam etiam rogamus, velit ordinare ut si forte ad alios portus sibi subditos deferantur, statim et sine impedimento hoc venire cum dicto frumento libere permittantur. Quod erit nobis admodum gratum. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die ultima octobris MCCCCCLXXXVII, Pontificatus nostri anno sexto.

HADRIANUS

(*Al dors*): Carissimo in Christo filio nostro Friderico Siciliae Regi Illustri. Summi Pontificis. R. III novembris 1497.

A. P., caixa 1, doc. 20. (*Segell*).

21

12 de gener de 1498

A Frederic, rei de Sicilia. Per replantar el jardí del palau pontifici, molt descuidat per les darreres guerres, ha enviat a Sicília a Lluís de Santàngel per a comprar arbres i plantes. Li demana ajuda.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Vinea huius Palatii nostri superiorum temporum perturbationibus solito cultu deserta est, eam nos qui assiduis gravibusque negotiis occupamur, pro aliqua nostra recreatione colere et renovare intendimus et quia etiam arbores quae in ea erant omnes exaruerunt, opus est ut alias undecumque possumus conqueriramus. Ea igitur causa mittimus ad Maiestatem tuam dilectum filium Ludovicum de Sancto Angelo familiarem nostrum, eam hortantes et rogantes ut aliquas plantas pomiferarum arborum varii et electioris generis circa finem huius vel initium sequentis mensis ad Nos mitti faciat, ita cum suis radicibus ac aggesta ad pedes Terra in aliquibus vasis munitas, ut dum deferuntur quassatione aut iactatione nimia non destruantur, quae res erit nobis admodum grata. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XII Januarii MCCCCCLXXXVIII, Pontificatus nostri anno sexto.

HADRIANUS

(*Al dors*): Carissimo in Christo filio nostro Frederico (*sic*) Siciliae Regis Illustri. Smi. Dni. ni. Papae.

A. P., Caixa 1, doc. 22. (*Restes del segell*).

22

21 de juliol de 1498

A Frederic, rei de Sicília. Li participa haver-se celebrat, a la seva presència, el matrimoni d'Alfons d'Aragó, fill natural del rei Alfons II, amb Lucrècia Borja.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Hodie, annuente Domino, coram nobis et dilecto filio nostro Ascanio-Mariae Sti. Viti in Macello martirum diacono Cardinali S. R. E. Vicecancellario, ac Maiestatis tuae procuratoribus, contractum et celebratum est matrimonium per verba de praesenti inter dilectos filios nobilem virum Alfonsum de Aragonia, Ducem Vigiliarum, nepotem tuum, et nobilem mulierem Lucretiam de Borgia, filiam nostram carissimam (*sic*), quod felix faustumque sit. Et sicut istud vinculum secundi matrimonii inter sanguinem nostrum et tuum mutuum amorem et intimam charitatem inter nos auget, ita etiam erga Maiestatem tuam re ipsa id ostendere ipsumque Alfonsum nobis carissimum (*sic*) in omnibus commendatum habere conabimur. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die **xxi Julii mcccclxxxxviii**, Pontificatus nostri anno sexto.

Jo. MÚTINENSIS

(*Al dors*): Carissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi Illustri. Summi Pontificis XXI. R. **xxviii Julii 1498.**

A. P., Caixa 1, doc. 23. (*Segell*).

23

3 d'agost de 1498

A Frederic, rei de Sicília. Li manifesta la seva sorpresa per haver invadit les seves tropes Asculi, en les Marques, i li urgeix a retirar-les i a no intervenir en els afers d'altres.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Vidimus litteras tuae Serenitatis tam Gubernatori nostro Marchiae quam nostrae civitati Asculanae scriptas super facto dilecti filii Astulti e civitate populariter electi, quas nobis videndas ipse Gubernator transmisit, vix adduci possumus ut credamus easdem litteras ad Asculanos e mente tua profectas, quandoquidem significare videntur Maiestatem

tuam gentes suas in istam Provinciam nostram Marchiae destinatas in illis finibus remanere, non ut nobis inserviant et Gubernatori nostro, sed ipsi Astulto obsequantur ad Provinciam novis scandalis perturbandam et Asculanos inquietandos, quibus tua Serenitas omnia hostilia comminatur, nisi expulsis eius inimicis et rebellibus, Astultum in urbem recipient. Quod cum a Regia tua in nos Sedemque Apostolicam devotionem sit alienum, non admirari non potuimus, quod Maiestas tua in messem alienam falcem imponere et de regimine subditorum nostrorum se intromittere velle videatur, quibus ab alio quam a nobis legem accipere non convenit. Omnia tamen, per Maiestatem tuam in ipsis litteris scripta in bonam partem accipientes, eam hortamus ut res et controversias omnis istius Provinciae dimittat ordinationi nostrae et Gubernatoris nostri, qui melius quam ceteri novit quae ad salutem et quietem Provinciae pertinent. Quoniam vero gentes tuae quae in finibus Regni sunt non nisi suspitiones afferunt et variis continue damnis et incommodis Asculanos afficiunt, quemadmodum etiam noviter certiorati sumus ex litteris venerabilis fratris episcopi Asculani quas praesentibus inclusas mittimus, ipsam Maiestatem tuam valde hortamus atque requirimus Asculanos quietos dimittat et easdem gentes revocet et regredi mandet, atque provideat ne deinceps Asculani ulla damna patientur, sed ut antea benigne a tuis pertractentur, quod etiam pro eorum in Maiestatem tuam affectu et observantia indigni sunt omni iniuria, praesertim cum nullos rebelles tuos (ut scribis) admiserint et si quae bona tuorum in domo Asculti asservata in illo tumultu populari fuerunt ablata, restituere, vel de illis prompte satisfacere velint. Quod autem attinet ad Ascultum modo se gerat ut bonum vassallum et fidelem subditum convenient et sub legibus cum reliquis concivibus quiete vivere velit, oportune providebimus ut cum gratia civium restituatur, praesertim tuae Maiestatis intuitu, qui ad hoc non armis cogendi ne res ad desperationem deveniat, cum civitas illius servitutis iugum tam concorditer excusserit, sed bonis modis capta temporis oportunitate sunt adducendi. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die III Augusti MCCCCCLXXXVIII, Pontificatus nostri anno sexto.

L. PODOCATHARUS

(*Al dors*): Carissimo in Christo filio Federico Siciliae Regi Illustri. Sum. Pont. III. R. XII Aug. 1498. Per le case d'Asculi.

A. P., Caixa 1, doc. 25. (*Restes del segell*).*

* El doc. 24 és la còpia de la carta del bisbe, que no transcrivim.

24

20 d'agost de 1498

A Frederic, rei de Sicília. Li fa saber que el seu cambrer, Cristòfer Picinnini, tractarà amb ell els afers relativs al viatge d'Alfons d'Aragó i de la seva muller Lucrècia Borja.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Proficiscitur ad Maiestatem tuam dilectus filius Christophorus Picinninus, familiaris et cubicularius noster a nobis destinatus, super rebus dilectorum filiorum nobilis viri Alfonsi de Aragonia Ducis Vigiliarum et Quaratae, ac nobilis Mulieris Lucretiae de Borgia, Ducsonse, quos licet certo sciamus nulla indigere commendatione nostra apud Serenitatem tuam, illam tamen adhortandam atque rogandam duximus, ut quanto celerius et commodius fieri possit, iuxta conventiones hic concorditer initas, eidem Christophoro omni favore assistat, ut pro voto expeditus super omnibus sibi iniunctis ad nos redeat. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xx Augusti MCCCCCLXXXVIII, Pontificatus nostri anno sexto.

L. PODOCATHARUS

(*Al dors*): Carissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi Illustri.

A. P., Caixa 1, doc. 26. (*Restes del segell*).

25

26 d'agost de 1498

A Bartolomé d'Alviano. El commina en virtut de santa obediència i pena d'excomunió a no molestar els habitants del reialme de Sicília i a retornar als seus estats.

ALEXANDER PAPA VI

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem. Inter alias turbationes ac novitates quibus continue studies, miser, magna cum molestia accepimus quod nuper ad civitatem Aquitanam profectus tentare presumpsisti in eam urbem armata manu introducere Hieronymum de Gagliossis et quosdam alios dictae civitatis exitios seu exiles, quod cum esse non potuisset sine magno scandalo illius populi et perturbatione status Regii, huiusmodi conatus tui eo nobis molestiores fuerunt quanto maiori studio quietem et firmitatem Carissimi in Christo filii nostri Fe-

derici Siciliae Regis Illustris ac rerum suarum procuramus. Propterea volumus ac tibi per praesentes in vim sanctae obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae rebellionis ac bonorum omnium confiscationis poenis, quas illico incurras si non parueris, per praesentes districte mandamus ut inde cum omnibus tuis statim discedas et ad loca tua sine mora regrediaris absque novitate et lesione terrarum et subditorum praefati Regis penitus abstineas neque de illis ullo modo te intromittas, quoniam haec est prorsus intentio nostra. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xxvi Augusti MCCCCLXXXVIII, Pontificatus nostri Anno septimo.

L. PODOCATHARUS

(*Al dors*): Dilecto filio Bartholomeo de Alviano. Summi Pontificis xxvi augusti. R. xvi septembris 1498. Ad Bartholomeum de Alviano.

A. P., Caixa 1, doc. 27. (*Segell*).

26

29 d'agost de 1498

Al cardenal Lluís d'Aragó. Li comunica que pensa nombrar cardenal a l'arquebisbe de Rouen; li mana que es presenti.

ALEXANDER PAPA VI

Dilekte fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Quoniam intendimus auctore Domino promovere venerabilem fratrem Archiepiscopum Rothomagensem ad Cardinalatus honorem, id propterea significandum duximus circumspectioni tuae, ut ea de causa huc se conferat et adsit ad nonam diem proximi mensis septembris. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xxviii Augusti MCCCCLXXXVIII, Pontificatus nostri anno septimo.

L. PODOCATHARUS

(*Al dors*): Dilecto filio nostro Lud. Sanctae Mariae in Cosmedin Diacono Cardinali de Aragonia.

A. P., Caixa 1, doc. 28. (*Restes del segell*).

27

20 d'octubre de 1498

A don Frederic, rei de Sicília. Havent renunciat al seu càrrec de Comendador del Monestir de Ripalta de l'orde del Cister i del de Sant Leonard de l'orde de Santa Maria dels Teutònics, Cèsar, cardenal de València, ha nomenat en lloc seu a Joan, cardenal de Perúgia, afegint-hi l'arquebisbat de Càpua. Això ho ha fet perquè sap que és amic seu.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Sicut innotuit Maiestati tuae, cessantibus commendis Monasterii de Ripalta Ordinis cisterciensis et Balliviae Sancti Leonardi Ordinis Beatae Mariae Theutonicorum in Apulia per liberam cessionem dilecti filii nostri Cesaris Cardinalis Valentini, qui illorum regimini et administrationi quae in commendam ex concessione apostolica obtinebat, in manibus nostris sponte et libere cessit, Nos huiusmodi admissa cessione idem Monasterium et Balliviam dilecto filio nostro Johanni Cardinali Perusino in commendam quoad vixerit concessimus eumque exinde a vinculo quo Ecclesiae Perusinae cui preerat tenebatur, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio absolventes, ad ecclesiam Capuanam, per liberam de illa cui tunc praearerat resignationem dilecti filii nostri Cardinalis de Borgia similiter in manibus nostris sponte factam et per nos admissam, pastore carentem transstulimus, ipsum Johannem nuper Perusinum in Archiepiscopum et pastorem eiusdem ecclesiae Capuanae praeicientes ut in litteris super praedictis omnibus expeditis plenius continetur. Ea a nobis ex eo libenter eidem Johanni concessa sunt quod sciebamus illum merito suo Maiestati tuae carissimum (*sic!*) esse quem ob eius continuam fidem et observantiam in inclytam omnem Aragoniae domum cognovimus semper honoris ac rerum tuarum studiosissimum. Itaque cum ad eius excellentem virtutem ac singularia merita accedat sumnum studium suum in Celsitudinem tuam, cui est deditissimus et nos illi honestis de causis plurimum afficiamur, hortamur atque rogamus et attente requirimus Maiestatem tuam ut nostra etiam contemplatione proquam tua in apostolicam Sedem devotione Regio favore suo assistat et provideat ut possessio ecclesiae et monasterii et Balliviae praedictorum, sicut par est, iuxta dictarum litterarum tenorem sibi seu dilecto filio Johanni Antonio Beneventanensi eius procuratori, antiquo et familiari nostro, quem hac de causa ad Maiestatem tuam mittimus, amoto quocunque impedimento tradatur et assignetur ac de illorum fructibus integre respondeatur. In quo tua Serenitas non solum sicut eius catholico animo et aequitati convenit, satisfaciet, sed etiam nobis valde complacabit qui singulari in nos complacentiae suaee id ascribemus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die xx octobris mcccclxxxxviii, Pontificatus nostri anno septimo.

L. PODOCATHARUS

(*Al dors*): Carissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi Illustri Summi Pontificis xx Octobris. R. III Novembris 1498.

A. P., Caixa 1, doc. 29. (*Restes del segell*).

28

22 de desembre de 1498

A don Frederic, rei de Sicília. Li prega que deposi la seva actitud adversa envers Juli de Squartiatis, fidel servidor seu i del papa.

ALEXANDER PAPA VI

Charissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Intelleximus Maiestati tuae per nonulos dilecti filii Julii de Squartiatis emulos persuassum fuisse ipsum Julium, qui videns se in civitate Neapolitana, in qua a praedecessoribus tuis in tanto honore habitus fuerat cum animi quiete vivere non posse, ad Romanam curiam se contulit et in ea permanet, de tua Regia Maiestate obloqui illiusque honori et dignitati detrahere, quod certe nobis persuadere non possumus, cum is saepe numero apud nos fuerit et semper ab eo omnia quae ad gloriam et exaltationem ipsius Maiestatis tuae et inclitae domus Aragoniae tendunt et quae ad fidelissimum et deditissimum subditum attingent intellexerimus seque paratissimum offerat semper in omnibus mandatis Maiestatis tuae obtemperare, nec eum ab eius fide deficere. Quare nolit Maiestas tua dictis emulis credere, quia si aliter esset, haec sibi non scriberemus. Hortamur igitur Illam atque attente rogamus in Domino ut eundem Julium, quem cum sit vir longa rerum experientia comprobatus hic retinemus, velit suscipere commendatum, nec in rebus et bonis suis eum, coniugem et filios molestare, quo in dies sua erga eandem Maiestatem tuam fides et devotio possint adaugeri ac alii subditi sui, sibi ad bene serviendum magis intendantur; et si quid innovatum fuisse velit Maiestas tua in pristinum statum restituere. Quod etiam nobis pergratum erit. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die xxii Decembris MCCCCLXXXVIII, Pontificatus nostri anno septimo.

Jo. MUTINENSIS

(Al dors): Charissimo in Christo, filio nostro Federico Siciliae Regi Illustri. Summi Pontificis. xii decembris. R. xvii Januarii 1499. Commun.

A. P., Caixa 1, doc. 30. (Restes del segell).

29

23 de gener de 1499

A don Frederic, rei de Sicilia. Li recomana de nou a Alfons d'Aragó i a la seva muller Lucrècia, i li recorda el compromís de donar-los el comtat de Terranova quan estigués vacant, cosa ara possible per la mort del darrer comte.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Certo scimus dilectos filios nobilem virum Alfonsum de Aragonia Vigiliensem Ducem et Eius uxorem nobilem mulierem Lucretiam Ducessam tuae Maiestatis filios et servos nulla indigere commendatione apud Serenitatem tuam, cui res et commoda ipsorum non minus quam nobis cordi sunt; sed pro singulari in eos affectu nostro memores promissionis tuae factae in conventionibus matrimonii inter praefatos Alfonsum et Lucretiam contracti concorditer initis de concedendo primum comitatum in isto Regno tuo et praesertim Comitatum Aliani vel Terrae Novae vocaturum se eisdem Alfonso et Lucretiae libere concessurum. Cum acceperimus dictum comitatum Aliani per obitum ipsius Comitis nuper defuncti vacare et ad Maiestatem tuam devolutum esse, has tuae Serenitati scribendas duximus illam hortantes atque ex corde rogantes, ut eudem comitatum ipsis Alfonso et Lucretiae concedere et oportunas litteras ac provissores desuper expedire velit. Faciet in hoc tua Maiestas rem aequitati et regiae munificentiae suae convenientem et nobis supra quam dici possit gratissimam, quemadmodum dilecto filio nostro Ascanio Cardinali vicecancellario et oratoribus tuis plenius diximus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXIII januarii MCCCCCLXXXVIII, Pontificatus nostri anno septimo.

L. PODOCATHARUS

(Al dors): Carissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi Illustri. Summi Pontificis XXIII Januarii. R. XXVII eiusdem.

A. P., Caixa 1, doc. 31. (Segell).

30

7 de juliol de 1499

A don Frederic, rei de Sicília. Ha concedit la preceptoria de Santa Maria de Sexano, en la diòcesi de Nola, a Francesc de Borja. Demana al rei que l'ajudi a prendre'n pacífica possessió.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Dudum ut accepimus de praceptoria Beatae Mariae de Xixano ordinis Sancti Johannis Hierosolimitani Nolanis diocesis tunc certo modo vacante dilecto filio Francisco de Borgia nostro secundum carnem nepoti alias rite provisum extitit, et deinde idem Franciscus super dicta praceptoria coram certo carissimum Palatii Apostolici auditorem liti-

gando deffinitivam pro se et contra quendam Geraldum alias Bernardum de Requesens assertum professum dicti ordinis in eadem praeceptoria intrussum sententiam reportavit, quae nulla provocatione suspensa in rem transivit iudicatam, litteris executorialibus desuper in forma solita decretis; cum autem idem Franciscus ad capiendam possessionem dictae praeceptoriae in praesentiarum mittat hortam Maiestatem tuam in Domino et attente requirimus, ut eidem Francisco sive procuratori ita assistere et favere velit quatenus pacificam et expeditam dictae praeceptoriae possessionem assequatur iuxta ipsarum litterarum seriem atque formam; quod erit iusticiae conveniens ac etiam nobis qui eidem nostro secundum carnem nepoti plurimum afficiamur pergratum. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VII Julii MCCCCCLXXXVIII, Pontificatus nostri Anno septimo.

HADRIANUS

(*Al dors*): Carissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi Illustri. Summi Pontificis VII Julii. R. XXVIII octobris 1499.

A. P., Caixa 1, doc. 32. (*Restes del segell*).

31

21 de setembre de 1499

A don Frederic, rei de Sicília. Li comunica que en consistori secret ha nomenat Antoni Fàbregues, cubiculari seu, per a regir l'església venusina. L'exhorta a donar-li plena i pacífica possessió.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Dudum Ecclesiae Venusinae certo modo vacanti, de fratribus nostrorum consilio et assensu, in Consistorio nostro secreto, de persona dilecti filii Antonii Fabregues Decretorum doctori cubiculario nostro providimus, prout in nostris sub plumbo desuper confectis litteris plenius continetur. Cum autem cupiamus ut haec nostra provisio, ut par est, suum consequatur effectum, hortam Maiestatem Tuam in Domino et attente requirimus, ut eidem Antonio ecclesiae predictae liberam et pacificam tradi et assignari facias possessionem, in qua re Maiestas Tua rem iustum faciet, et nobis qui eundem Antonium paterne diligimus, plurimum complacabit. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXI septembris MCCCCCLXXXVIII, Pontificatus nostri anno octavo.

HADRIANUS

(*Al dors*): Carissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi Illustri.

A. P., Caixa 1, doc. 33. (*Segell*).

32

7 de novembre de 1499

A Frederic, rei de Sicília. Li fa saber que per mort de Lluís arquebisbe de Cosença, havia nomenat per a succeir-lo a Francesc de Borja, que conservava, emperò, tots els seus previs beneficis eclesiàstics; l'exhorta a no dificultar la possessió de l'arquebisbat.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime (*sic*) in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Nuper Ecclesiae Cusentinensis per obitum bonae memoriae Ludovici Archiepiscopi Cusentinensis vacanti de persona venerabilis fratris Francisci de Borgia episcopi Teanensis nostri secundum carnem consanguinei ac Thesaurarii generalis nobis et fratribus nostris ob suas virtutes, probitatem et suorum exigentiam meritorum accepta de fratum eorumdem consilio etiam cum retentione et reservatione Ecclesiae Teanensis ac monasteriorum et aliorum beneficiorum suorum apostolica auctoritate providimus praeficiendo eum illi in Archiepiscopum et pastorem, prout in aliis nostris sub plumbo desuper confectis etiam ad Maiestatem tuam directis latius continetur, et quoniam nobis admodum cordi est ut provisio huiusmodi facta in virum de nobis et hac sancta sede apostolica optime meritum ac Maiestati tuae deditissimum et studiosissimum et praefatis fratribus nostris gratissimum suum debitum ut par est sortiatur effectum eandem Maiestatem tuam qua possumus affectione hortamur et requirimus in Domino ut procuratoribus eiusdem Archiepiscopi ita adesse et favere velit ut celeriter expediti a Maiestate tua possessionem dictae Ecclesiae cum omnibus iuribus et pertinentiis suis liberam consequantur, ipsumque Archiepiscopum et res suas eo affectu et caritate completi quatenus intelligat hanc nostram commendationem apud eandem Maiestatem tuam non fuisse vulgarem; quod profecto et dictae Ecclesiae conductet nec minus Maiestati tuae honorificum quam nobis gratissimum erit. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VII Novembris MCCCCLXXXVIII, Pontificatus nostri anno octavo.

HADRIANUS

(*Al dors*): Carissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi Illustri. Summi Pontificis. R. xxv. 9^{bris} 1499.

A. P., Caixa 1, doc. 21. (*Segell*).

33

18 de novembre de 1499

A don Frederic, rei de Sicília. Li demana que aprofiti l'oportunitat de l'anada del procurador d'Alfons d'Aragó, Francesc-Maria, a prendre possessió del Principat de Salerno i de la ciutat de Sanseverino, concedits pel rei al citat Alfons i a Lucrècia, per a donar-los també la plena jurisdicció sobre ells.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime in Christo fili nostro salutem et apostolicam benedictionem. Dilectus filius Nobilis vir Alfonsus de Aragonia Princeps Salerni Nepos ac servus Tuae Maiestatis mittit in praesentia dilectum filium Franciscum Mariam nuncium et procuratorem suum ad capiendam possessionem Principatus Salernitani et civitatis Sancti Severini, quem ei nuper Tua Maiestas Regia sua gratia ac benignitate concessit. Et licet existimemus ipsum Principem pro singulari amore et benevolentia qua Tua Maiestas eum ac dilectam in Christo filiam Nobilem Mulierem Lucretiam de Borgia Salerni Principissam eius consortem prosequitur alia commendatione non indigere, tamen ipsum Principem ac Principissam Tuae Maiestati ex animo ac attentione commendamus, hortantes ut possessionem Principatus praedicti ac artium (?) Salernitani et Sancti Severini una cum plena et omnimoda iurisdictione sua omnibusque earum munitionibus ac aliis ipsius principatus pertinentiis ipsi Francisco Mariae nuncio et procuratori tradere ac consignare velit; quicquid enim commodi ac beneficentiae in ipsos Principem et eius Consortem Tua Maiestas conferet existimabimus in nostram propriam personam esse collatum. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xviii Novembris MCCCCLXXXVIII, Pontificatus nostri Anno octavo.

HADRIANUS

(*Al dors*): Carissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi Illustri.

A. P., Caixa 1, doc. 34. (Segell).

34

25 de novembre de 1499

A don Frederic, rei de Sicília. Li recorda la recomanació que li fa fer a favor del preceptor, de la preceptòria d'Ulldecona, Francesc de Borja, perquè pogués prendre pacífica possessió de la preceptòria de Santa Maria de Sexano, en la diòcesi de Nola.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Superioribus mensibus per aliud nostrum breve commendavimus Maiestati Tuae dilectum filium Franciscum de Borgia praceptorum praeceptoriae Uldeconae Sancti Johannis Hierosolimitani nostrum secundum carnem nepotem, pro consequenda pacifica et expedita possessione praeceptoriae beatae Mariae de Sexano Nolanae diocesis eiusdem Sancti, quam tunc certo modo vacantem praefato Francisco quem ob egregias eius virtutes et grata servitia diligimus, contuleramus et super qua contra quemdam Gerardum Requesens in eadem praeceptoria intrusum diu prius in romana Curia litigato et in sui favorem quandam definitivam sententiam quae in rem transiverat iudicatam reportaverat ac executoriales litteras sub plumbo desuper expeditas obtinuerat prout in illis latius continetur. Nuper autem cum ex relatione praefati Francisci bonam tuae Maiestatis animi dispositionem erga eundem Franciscum intellexerimus, nec dum tamen eum effectum dictarum litterarum consecutum, ad eandem Maiestatem tuam denuo scribendum duximus eam hortantes ut pro sua in nos et hanc sedem devotionem proque iustitiae debito ordinare velit ut praefato Francisco praeceptorii sive eius procuratori vel nuncio absque ulteriori dilatione libera et expedita dicti beneficii possessio tradatur ac in ea manutentatur. In quo Tua Maiestas rem iustum eficiet ac nobis vehementer gratam. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die **xxv Novembris mcccclxxxxviii**, Pontificatus nostri Anno octavo.

HADRIANUS

(*Al dors*): Carissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi Illustri.

A. P., Caixa 1, doc. 35. (Segell).

35

3 de febrer de 1500

A don Frederic, rei de Sicília. El perill dels turcs és imminent. Ha recomenat a diferents països que prenguin les mesures oportunes, però caldria anar tots a l'una; per això cal que els diferents prínceps enviïn els seus representants a Roma per a tractar de l'assumpto. Li recorda al rei la proximitat de la data de reunió i li prega que envii els seus.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime (*sic*) in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Credimus Maiestatem tuam abunde intellexisse varias et di-

versas perfidorum Turcorum christiani nominis acerrimorum hostium superioribus mensibus in plerisque christianorum locis ac ditionibus incursiones, praedas, incendia et innumerias strages, ac novissime Neopacti expugnationem necnon praeter tam jacturam, quasi eorum rabies, nondum christiano sanguinae satis debachata, expletaque sit, quemadmodum ipsi crudelissimi Turci, classem ingentem et validissimum exercitum in Christianorum perniciem in sequenti vere parare instruereque non cessant. Quo nos periculo variis litteris nunciisque admoniti, pro nostro pastorali officio, his elapsis mensibus christianos principes ac potentatus, extra Italiam consistentes, quibus potuimus modis, per litteras excitavimus hortatique sumus, ut ad providendum huic tanto tamque imminenti toti reipublicae christiana discrimini in commune consulere atque subvenire, pro se quisque sedulo curaret utque id certius fieri et concludi posset oratores suos in Kalendis martiis cum plenis mandatis ad nos destinarent. Quod illos pro rei magnitudine, quae omnes tangit, facturos esse non dubitavimus. Etiam ab aliquibus eorum piam suam voluntatem ferventissimumque in res fidei Zelum testantibus optimum ac votivum responsum nuper accepimus. El quia Tua Maiestas propinquuiur est et hanc imminentem christianis necessitatem plane eam intelligere putabamus antehac Tuae Maiestati de hoc aliter non scripsimus. Nunc autem cum praestitutum tempus appropinquet, voluimus ad te quoque de hac re scribere, quem pro tuo in orthodoxam fidem Zelo ac devotione, in rem hanc propensum paratumque fore confidimus, Maiestatem tuam hortantes atque quo possumus studio et diligentia requirentes, ut ad id temporis pro conclusione ac provisione rerum omnium huic tam sanctae ac necessariae expeditioni necessiarum oratores quoque tuos cum pleno ac sufficienti mandato ad nos omnino mittere velis. Nos vero quod ad nostrum spectabit officium in eorum atque aliorum oratorum adventu nihil quod per nos fieri possit in rem hanc, dante Domino, omissuri sumus. Quinimo diligentissime omnia facturi atque executuri quae in eorum conventu obtenta conclusaque fuerint, sicut et magnitudo rei et imminens periculum ac debitum officii nostri postulare videntur. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die IIII februarii MD, Pontificatus nostri Anno Octavo.

HADRIANUS

(*Al dors*): Carissimo in Christo filio nostro Friderico Siciliae Regi Illustri. Summi Pontificis III februarii 1500. R. **XIII** eiusdem.

A. P., Caixa 1, doc. 36. (Segell).

3630 de maig de 1500^a

A don Frederic, rei de Sicília. En moments difícils pel seu predecesor, don Alfons, el cardenal legat Joan de Borja va empennar una vai-xella de plata que després el rei va recuperar i vendre per tres mil ducats, sense que el cardenal mai no en cobrés res. Mort ara el cardenal, ha deixat molts deutes que la seva fortuna no pot cobrir. Per poder-ho fer necessita el seu hereu i germà Roderic de Borja els esmentats tres mil ducats.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime (*sic*) in Christo fili salutem et Apostolicam benedictionem. Dum viveret bonae memoriae Johannes Sanctae Mariae in via Lata diaconus Cardinalis Borgia, noster secundum carnem nepos, et in Regno isto noster et Apostolicae Sedis Legatus existeret, pro sua in clarae memoriae Alfonsum Siciliae Regem praedecessorem Maiestatis tuae singulari affectione, eidem Regi tunc in quadam pecuniarum necessitate constituto, ut tua Maiestas plane novit, quaedam vasa sua argentea impignoranda pro summa trium milium ducatorum commodavit, quae vasa fuerunt postea per ipsum Regem conflata et pro eadem pecuniarum summa vendita, nec unquam eidem Cardinali de ea satisfactum. Cum autem idem Cardinalis postmodum, sicut Domino placuit, fuerit vita functus multis debitibus relictis ad quae dissolvenda eius non suppetunt facultates, habeatque propterea dilectus filius Don Rodericus de Borgia eius frater ac noster secundum carnem Nepos dicta debita persolvere, scribendum Maiestati tuae duximus illam hortantes et attente requirentes velit ordinare ut eidem Roderico de praedicta summa satisfiat, quo debita huiusmodi dissolvere possit. In quo tua Maiestas et debito justitiae et aequitati, ac nobis etiam plurimum satisfaciet. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris xxx^a Maii, mcccc Pontificatus nostri Anno octavo.

HADRIANUS

(*Al dors*): Carissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi Illustri. Summi Pontificis xxx Maii. R. viii Junii 1500.

A. P., Caixa 1, doc. 37. (*Restes del segell*).

37

10 de juliol de 1500

A don Frederic, rei de Sicília. Li participa que per consell de Cèsar Borja havia nomenat, en el darrer consistori, a Joan Vera, protonotari apostòlic, arquebisbe de Salerno. Demana al rei que li'n doni pacífica possessió.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime in Christo fili noster salutem et Apostolicam benedictionem. Cum Ecclesia Salernitana per obitum bonae memoriae Octaviani illius, dum viveret, Archiepiscopi, proxime vacaverit et dilectus filius Nobilis Vir Cesar Borgia dux Valentinus nobis supplicaverit, ut attentis virtutibus et meritis dilecti filii Johannis Vera protonotarii ac antiqui familiaris nostri ipsiusque Ducus alias praceptoris, eidem Ecclesiae de persona dicti sui praceptoris providere vellemus. Nos considerata ipsius protonotarii doctrina, singularique probitate ac modestia, fidelibus diuturnisque tam nobis quam eidem Duci impensis obsequiis, eumdem protonotarium ad dictam Ecclesiam Salernitanam hodie in Consistorio nostro de venerabilium fratum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio promovimus, eundemque illi praefecimus in Archiepiscopum et pastorem. Cupientes autem ut haec nostra provisio in virum vita et moribus ornatissimum ac de nobis et ipsa Sede benemeritum eidemque Duci vehementer acceptum suum debitum, ut par est, consequatur effectum, Maiestatem tuam hortamur et attente requirimus, ut pro sua in nos et ipsam Sedem observantia et reverentia proque justitiae debito velit ordinare ut ipsius Archiepiscopi procuratoribus libera ac pacifica eiusdem Ecclesiae possessio tradatur et consignetur; in quo nobis tua Maiestas rem gratissimam efficiet. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die x Julii mcccc, Pontificatus nostri Anno octavo.

HADRIANUS

(Al dors): Carissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi Illustri. Summi Pontificis x. R. XIII Julii 1500. De Salerno.

A. P., Caixa 1, doc. 38. (Restes del segell).

38

19 d'agost de 1500

A don Frederic, rei de Sicília. Carta de condol per la mort del seu nebot Alfons d'Aragó, príncep de Salerno. Li demana al rei que protegeixi la seva muller, Lucrècia, i doni els Estats al seu fill Roderic.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Explicare ullis aut litteris aut verbis non possumus quam gravi dolore ac molestia affecti fuerimus ex casu dilecti filii Nobilis viri Alphonsi ducis Vigiliarum ac Principis Salerni Maiestatis Tuae nepotis, qui cum quam plurimis diebus aegrotasset atque ut summopere cupiebamus ad salutem eum perduci speraremus, omni possibili medicinae,

fomenti, ac auxilii genere accuratissime per nos adhibito, longa tandem in morbi admodum extenuatus, magno de se apud nos et omnes desiderio ac maerore relicto, heri sicut Domino placuit extinctus est. Quo certe obitu nos ita afficti, ac consternati sumus, tum ob eius paeclaras egregiasque virtutes necessitudinemque ac coniunctionem quae cum eonobis intercedebat, tum vel maxime ob tuam Maiestatem, cui omni es parte merito carissimus erat, ut tan tristem, lugubremque nuncium tuae Maiestati vix significare possimus; et qui tuam Maiestatem in tam acerbo-casu consolari cupimus ipsi paecipua consolatione egeamus. Sed quoniam vita functus nulla iam humana ope, nullo affectu aut remedio revocari potest, restat ut quod vix nobis ipsis pae dolore imperare possumus, Maiestatem Tuam ex animo requiramus atque rogemus, ut im-maturam eius mortem solita sapientia patienter una nobiscum ferre, ac tolerare velit; nobisque si quid est quod pro tua Maiestate facere nos posse cognoscat, id quantum cum Domino poterimus libentissime facturis significet. Commendamus insuper Maiestati tuae dilectam in Christofiliam Nobilem Mulierem Lucretiam de Borgia ipsius Ducis relictam eiusque filium Nobilem infantem Rodericum, rogantes Maiestatem tuam ut eundem Rodericum sicut pro sua aequitate et iustitia facturum confidimus, statibus ipsius Ducis investire ac regio suo favore et gratia prosequi velit; quod erit nobis supra quam dici possit gratum. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XIX Augusti MCCCCC, Pontificatus nostri Anno octavo.

HADRIANUS

(Al dors): Carissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi Illustri. Pontificis XVIII augusti 1500. R. XXII (?) augusti 1500.

A. P., Caixa 1, doc. 39. (Segell).

39

8 d'octubre de 1500

A don Frederic, rei de Sicília. Se li queixa perquè no ha donat possessió de la preceptòria de Sexano a Francesc de Borja, cavaller de l'orde de Sant Joan de Jerusalem, malgrat les seves constants instàncies.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Ex pluribus nostris in forma brevis litteris Maiestas tua intelligere potuit quanto desiderio teneamur ut dilectus filius Franciscus Borgia Miles Hierosolimitanus noster secundum carnem nepos, pacificam possessionem paeceptoriae Beatae Mariae de Fixano (*sic*) eiusdem ordinis Nolanae diocesis consequatur, et non parva admiratione afficimur quod tanto tempore contra omnem aequitatem illi denegata fuerit. Quapropter

desiderantes ut idem Franciscus illam tandem ut iustum et conveniens est assequatur, Maiestatem tuam hortamur in Domino et instantissime requirimus, ordinare velit, ut eiusdem praceptoriae possessio libera, pacifica et expedita eidem Francisco vel eius ad hoc legitimo procuratori sine ulteriori mora, quibusvis impedimentis et obstaculis reiectis, alias iuxta litterarum executorialium per eum desuper obtentarum seriem et tenorem tradere et consignare faciat; profecto rem iustitiae et Catholico Regi convenientem et nobis, etiam vehementer gratam efficies. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII octobris mcccc, Pontificatus nostri Anno VIII.^o

HADRIANUS

(*Al dors*): Carissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi Illustri.

A. P., Caixa 1, doc. 40. (*Restes del segell*).

40

11 d'octubre de 1500

A don Frederic, rei de Sicília. Li mana que no obstaculizi la presa de possessió del bisbat de Salerno per Joan Vera, protonotari apostòlic i cardenal.

ALEXANDER PAPA VI

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Cum vacanti nuper ecclesiae Salernitanae de persona dilecti filii nostri Johannis Vera, tunc nostri et apostolicae sedis prothonotarii, nunc autem tituli sanctae Balbinæ praesbiteri Cardinalis, ob eius merita et praestantissimas virtutes in Consistorio nostro providissemus, scripsimus Maiestati Tua illam hortantes ac obsecrantes vellet ordinare ut eidem electo, nobis et Collegio venerabilium fratrum nostrorum S. Ro. E. Cardinalium vehementer accepto, ipsius ecclesiae possessio tradetur. Quod cum nondum factum fuisse, per aliud nostrum breve iterum eam ut hoc faceret hortati fuimus. Cum autem considerata Tuæ Maiestatis in nos et hanc sanctam sedem observantia putaremus dictam possessionem eidem Cardinali fuisse consignatam, intelleximus eam nondum fuisse traditam, quare valde mirati sumus. Illique denuo scribendum duximus eandem ex animo requirentes ac monentes velit providere ut sine ulteriori mora, antequam dictus Cardinalis in legationem suam Franciae accedat, dicta possessio eidem Cardinali, quem tali cardinalatus dignitate propter eius doctrinam spectatamque in nos et nostros fidem atque observantiam nuperrime decoravimus, aut praefato suo procuratori concedatur. Quod si forte, quod non credimus, Maiestas Tua ipsam possessionem impedire aut differre decreverit, hortamur ut id

saltem nobis aperte significet, ut quid simus facturi deliberare possimus.
 Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die **xii**
 Octobris mcccc, Pontificatus nostri Anno Nono.

HADRIANUS

(Al dors): Carissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi
 Illustri. Summi Pontificis **xii** octotbris. R. xxviii octobris 1500.

A. P., Caixa 1, doc. 41 1-3. (Hi han tres exemplars). (Segell).

41

31 de desembre de 1500

*A don Frederic, rei de Sicília. Intercedeix a favor del Duc de Gravina,
 a qui, durant la seva estada a Roma, el rei havia incautat alguns
 dels seus estats i possessions.*

ALEXANDER PAPA VI

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Superioribus diebus, cum intellexissemus dilecto filio Nobili viro Francisco Duci Gravinae, qui paulo ante ad Statum suum quem prope urbem habet ac domum et familiam suam de Ursinis unde oriundus est nosque etiam visendos se contulerat, Maiestatem tuam post ipsius Ducis discessum, nonnulla in suo Statu et locis, quae in Regno habet, innovasse, pro nostra in ipsum Ducem dilectione, cum dilecto filio Thoma Regulano pro tua Maiestate penes nos agenti collocuti sumus, requientes ut ad tuam Maiestatem scriberet ipsumque Ducem tuae Maiestati fidelissimum nostro etiam nomine commendaret hortareturque eam ut sublatis sequestris et aliis quae post eius discessum de tuae Maiestatis mandato novata esse dicuntur, eundem Ducem Statu ac locis suis pacifice et sine lesione ut prius frui permitteret. Cum autem considerata ipsius Ducis innocentia et erga tuam Maiestatem singulari Fide nostra que intercessione putaremus id omnino tuam Maiestatem libenter concessurum, relatum est nobis nondum tuam Maiestatem aliud desuper ordinasse. Quare nos qui ipsum Ducem pro suis virtutibus ac in nos devotione et observantia praecipua charitate dilectioneque prosequimur, voluimus ut venerabilis Fr. Orlandus Episcopus Nolanus vir integer ac probatissimis moribus et ex eadem Ursinorum familia propterea ad tuam Maiestatem iret, per quem scribendum duximus tuae Maiestati illam ex animo denuo hortantes et attente requirentes velit ita providere et ordinare, ut eidem Duci et suis ministris liberum sit loca sua et Statum in pristina pace et quiete possidere. In quo tua Maiestas rem sua aequitate et probitate dignam ac Nobis vehementer gratam efficiet, existimatur quidquid erga res ipsius Ducis tua Maiestas faciet, eandem in propriam nostram personam esse facturam. Datum Romae apud

Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die ultimo Decembris mccccci
(sic), Pontificatus nostri Anno Nono.

HADRIANUS

(Al dors): Charissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi
Illustri. Pro Duce Gravinae, ultimo decembris. R. x Januarii 1501.

A. P., Caixa 1, doc. 42. (Restes del segell).

42

18 de gener de 1501

*A don Frederic, rei de Sicília. El cubiculari i arxiprest Calderole, home
manyós en armes bèl·liques, li ensenyarà les darreres invencions se-
ves. Li prega que les examini i que l'informi.*

ALEXANDER PAPA VI

Charissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictio-
nem. Dilectus filius Archipresbiter Calderole cubicularius et familiaris
noster quo in hedificiis et munitionibus bellicis pro sua in huiusmodi
rebus peritia et experientia utimur, mittitur in praesentia per nos ad
Maiestatem tuam ut eius machinas et munitionem quam egregie fabre-
factam et in copia habere dicitur, inspiciat, eaque considerata ad nos
instructior pro nostra paranda et eius exemplo formanda redeat. Hortam-
mur Maiestatem tuam ut in his videndis eidem Archipresbitero Regia
sua humanitate adesse velit. Is latius haec omnia Maiestati tuae coram
explicabit. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris,
die xviii Januarii mccccci, Pontificatus nostri Anno Nono.

HADRIANUS

(Al dors): Charissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi
Illustri.

A. P., Caixa 1, doc. 43. (Restes del segell).

43

25 de fevrer de 1501

*A don Frederic, rei de Sicília. Francesc Gazet, procurador del Príncep
d'Esquilache, no tan sols no entregà al seu senyor les quantitats de-
gudes, sinó que es refugià al regne de Sicília. Prega al rei que li faci
pagar els deutes al Príncep, o que el consigni a ell mateix.*

ALEXANDER PAPA VI

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictio-
nem. Cum dilectus filius Nobilis vir Geofredus Borgia Princeps Squil-

laci in ipso Principatu dilectum filium Franzinum Gazet viceprincipem et procuratorem suum ad gubernandum ipsum principatum et fructus ac introitus percipiendos constituisset, ipseque Franzinus postmodum ut suaे administrationis et fructuum perceptorum rationem redderet ab ipso Principe vocatus Romam venisset et per dilectum filium nostrum Cardinalem Salernitanum ac unum ex Camereae apostolicae clericis computorum revisores per nos deputatos ad restituendam praefato Principi certam pecuniарum sumмam rite condemnatus fuisse et de stando iuri fidem pollicitus esset, non modo fidem non servavit aut dicto Principi de pecunia in qua illi tenetur et condemnatus fuit non satisfecit, verum clanculum hinc aufugit, et ut accepimus ad Maiestatem tuam profectus est, quare illam hortamur et requirimus in Domino ut pro iustitiae debito proque sua in nos et hanc sanctam Sedem reverentia et observantia ordinare velit ut praedictus Franzinus de dicta pecunia praefato Principi quam primum satisfaciat vel quod convenientius esset ad nos transmittat. In quo Maiestas Tua iustitiae debito, ac nobis plurimum satisfaciet. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die xxv Februarii mccccci, Pontificatus nostri Anno Nono.

HADRIANUS

(*Al dors*): Carissimo in Christo filio nostro Federico Siciliae Regi Illustri.

A. P., Caixa 1, doc. 44. (*Restes del segell*).

44

3 d'abril de 1501

A don Frederic, rei de Sicília. Havent nomenat Francesc Remolini arquebisbe de Sorrento, demana al rei que li'n doni pacifica possessió.

ALEXANDER PAPA VI

Charissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Nuper ecclesia Surrentina pastoris regimine destituta, Nos inducti probitate, doctrina et rerum usu dilecti filii Francisci Remolini juris triusque doctoris Prothonotarii ac almae urbis nostrae Gubernatoris in consistorio nostro de venerabilium Fratrum nostrorum S. Ro. E. Cardinalium unanimi consilio et consensu, illum praefatae ecclesiae Surrentinae praefecimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et regimen ipsius ecclesiae in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout per litteras apostolicas desuper propediem expediendas latius apparebit. Quare cum praefatum Franciscum ob eius multiplices virtutes paterne diligamus desideremusque ut huiusmodi nostra provisio et praefectio suum, ut par est, sortiatur effectum, Maiestatem tuam hortamur in Domino et attente requirimus, ut pro sua in nos et hanc sanctam

sedem reverentia ordinare velit, ut dictus Franciscus qui tuae Maiestati deditissimus est, vel eius procuratores, praefatae ecclesiae Surrentinae cum pertinentiis suis liberam et pacificam possessionem consequatur. In quo Maiestas tua rem iustum et dignam et nobis gratissimam efficiet. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die tertia Aprilis mccccci, Pontificatus nostri Anno Nono.

HADRIANUS

(*Al dors*): Charissimo in Christo filio Federico Siciliae Regi Illustri.

A. P., Caixa 1, doc. 45. (*Restes del segell*).

